

tituere ipsi fructuario emptori, argumento textus in leg. Juliae, §. Si quis servo cum sequenti, ff. de Action. empti, & in leg. Si ex duobus, §. Si haeres, ff. de Peculio. Item etiam fructuarius non debet praeferrri; quia nullum jus habebat in proprietate, & virtute consolidationis usus-fructus accedit proprietati, non verò è contra: ideo teneo quod dixi.

35 Item quæro, an prædictæ leges regni permittentes & concedentes retractum, rescindant venditionem factam extraneo, & noviter post retractum constituent in consanguineum vel consocium novum titulum emptionis & venditionis, ut subrogetur loco prioris emptoris & tituli ejus? Et videtur quòd prima venditio rescindatur, & nova venditio vel titulus constituatur tamquam à primo venditore facta in adjectionem in diem, ut in leg. 1. & per totum, ff. de In diem adjectionem. Sed contrarium est tenendum, imò quòd prædicta prima venditio & contractus non rescinditur; quia fuit legitime facta. Item, quia nulla subest causa rescissionis: Item, quia non datur ibi consensus contrarius priorum contrahentium: Item, quia non intervenit fraus vel dolus eorum, per quod debeat rescindi; argumento textus in leg. 1. & per totum, ff. de Rescindenda venditionem. textus in l. 1. & per totum, Cod. eod. tit. textus in leg. In civile, Cod. de Rei vend. textus in leg. Sicut, Cod. de Act. & oblig. Sed tantum resolutivè dicendum est, quòd prima venditio valeat, & tota virtus ejus, actio vel obligatio, & effectus transfundatur in consanguineum vel socium retrahentem, & subrogetur in eum: & ista est vera intentio & intelligentia prædict. legum regni, & in hoc resideo.

36 Item quæro, quæ actio sit illa, quæ competit proximiori consanguineo, vel consocio virtute prædictarum legum ad retrahendam rem venditam ab emptore vel possessore? Et à sufficienti partium enumeratione videtur quòd nulla possit competere: quia omnium actionum ista est summaria & unica divisio; quòd aut debet esse realis, aut personalis, ut in §. Omnium, Instit. de Actionib. Sed realis non potest competere; quia arguit, præsupponit, & requirit dominium vel quasi dominium productum ex titulo, bona fide, & possessione, ut rei vindicatio, vel Publiciana, text. est in leg. 1. & per totum, ff. de Rei vindicationem. text. in leg. 1. & per totum, Cod. eod. tit. text. in leg. 1. & per totum, ff. de Publician. quæ quidem actio non potest competere consanguineo vel consocio, cum omnia prædicta requisita sibi deficient. Item etiam personalis non potest competere; cum illa oriatur ex contractu vel quasi gesto cum alio, & talis contractus vel con-

ventio non intervenit in nostro casu & retractu inter emptorem & consanguineum, vel socium volentem retrahere, argumento textus in leg. 1. & per totum, ff. de Actionib. & obligationem, & in dict. §. Omnium Instit. de Actionib. Sed breviter & resolutivè dico & teneo, quòd in nostro casu & quæstione competit actio personalis, non nativa, sed dativa, quæ vocatur conditio ex leg. & est in rem scripta, quia immediatè datur & competit à nostris legibus Regalibus in ducentibus retractum; & datur nedum contra primum emptorem, sed etiam contra quemlibet alium tertium possessorem intra prædictum tempus novem dierum: argumento textus in leg. 1. & per totum, Cod. de Conditionem. ex leg. juncta communi sententia ibi; & argumento textus in leg. 3. §. 1. & 2. ff. ad exhibendum, cum ibi notatis, textus in leg. Metus, §. fin. ff. Quod metus causa, & ista est veritas.

TEXT. LXXVI.

MAndamos, que ninguna de nuestras Justicias den por enemigo en rebeldia sin probanza legitima, y passados tres meses à lo menos despues de la condenacion, y que sea pedido por el acusador: y si de otra manera la dieren, que sea en si ninguna la sentencia que sobre ello se diere, en lo que toca à darlo por enemigo.

Id est:

Præcipimus, ne ulla ex nostris Justitiis concedat rebellionem pro inimico sine legitima cognitione & tribus mensibus ad minus post condemnationem elapsis, & ab accusatore postulata. Quod si aliter concesserint, sententia super ea re lata, sit in se nulla, quòd attinet ad aliquem pro hoste declarandum.

COMMENTARIUM

In Legem LXXVI.

SUMMARIUM.

- 1 An & quando absens de jure communi poterat accusari & condemnari?
- 2 Accusatore absente, & reo accusato presente potest ferri sententia.
- 3 Quæ sit ratio per quam in criminalibus non possit procedi contra absentem?
- 4 Benè potest judex recipere testes etiam in ab-

- 1 absentia ad perpetuam rei memoriam.
- 2 Omne delictum & ejus poena regulariter præscribitur per viginti annos.
- 3 Ex diuturnitate temporis minoratur poena in delictis.
- 4 In aliquibus casibus specialibus potest procedi contra absentem.
- 5 Hodie de jure regio indistinctè potest procedi contra absentem.
- 6 Citatio est quædam defensio de jure naturali, quæ tolli non potest.
- 7 An lex possit facere quod ex præsumptionibus quis condemnnetur?
- 8 Etiam si reus absens postea se præsentet vel captabitur, probationes antea factæ in absentia valent & tenent.
- 9 Fuga in delictis & causis criminalibus quid operetur.
- 10 Si reus fuerit captus, totus processus factus in absentia valet.
- 11 Si reus sit innocens, debet in absentia absolvi.
- 12 An nostra lex, quæ permittit propriam vindictam parti offensæ, valeat?
- 13 An offensus qui potest occidere alium, possit secum adducere socios?
- 14 Istud jus vindictæ non potest alteri committi.
- 15 Offensus occidens alium virtute hujus legis peccat mortaliter.

NOta ex ista leg. quòd vindicta propria autoritate potest per judicem parti offensæ committi in absentia, servata forma hujus leg. scilicet quòd præcedat vera & plena probatio, & non semiplena vel præsumpta, & parte petente, & elapsis tribus mensibus post sententiam definitivam latam. Pro cuius perfecta intelligentia & declaratione præsuppono, quòd de jure communi absens non potest accusari nec condemnari ex delicto gravi, ex quo veniret imponenda poena corporalis, & sic ultra relegationem; sed tantum ex delicto ex quo veniret tantum imponenda poena pecuniaria, vel relegationis, vel infra; textus est capitalis & expressus in leg. Absentem, ff. de Pœnis, textus in leg. 1. & per totum, ff. de Requirendis reis, textus in leg. Servum quoque, §. Publicè, ff. de Procurator. textus in leg. 1. versic. Sin autem, ff. An per alium causæ appellationis, &c. textus in leg. Absentem, Cod. de Accusat. textus in leg. Si quondam, Cod. de Adulter. textus in cap. 2. & in cap. Absente, & quasi per totum 3. quest. 9. textus in cap. Veritatis de dolo & contumacia, & utrobique Glossa ordinaria, & communiter DD. Quod extendit, etiam si se absentaverit post ac-

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

cusationem propositam, & sitem contestatam: imò quòd magis est, etiam si se absentaverit publicatis attestacionibus, & probato & lig. dato jam negotio: ita tenet Glossa ordinaria in dict. leg. Absentem, ff. de Pœnis, in verb. Relegatione, & ibi Bart. Alber. & communiter DD. tenet etiam Azo. in Summa, Cod. de Requirendis reis num. 2. Cin. Bald. Salycet. & communiter DD. in leg. Absentem, Cod. de Accusat. idem Bald. & alii DD. in leg. 1. Cod. Quomodo & quando judex.

2 Secus tamen est in casu contrario, scilicet reo presente, & accusatore absente; quia benè potest ferri sententia liquidato negotio, ne fortè absentia accusatoris noceat reo capto vel detento; ita probat textus notabilis in leg. Quamvis indubitati, Cod. de Adulter. & ibi notant Azo. Bald. & communiter alii DD.

3 Sed operæ pretium est videre, quæ sit ratio fundamentalis, per quam jura disponunt quòd in prædictis gravibus delictis, in quibus venit imponenda poena ultra relegationem, non possit procedi contra absentem legitime citatum, cum contumacia cuilibet debeat esse nociva, & non debeat quis ex sua malitia commodum reportare; ut in leg. in Condemnationem, §. Unicuique, ff. de Regul. jur. & in regula mora. de reg. jur. in 6. maximè quòd ex hoc sequitur maximum & irreparabile inconveniens & præjudicium parti læsæ & offensæ, & similiter reipublicæ. Scilicet quòd si durante absentia delinquentis testes moriantur, deficeret probatio, & delictum remaneret impunitum: sed resolutivè dico & respondeo; quòd duplex potest esse ratio. Prima, quia quando reus est absens, non potest se defendere: quia fortè ei competit aliqua justa causa, defensio, vel excusatio; per quam posset absolvi, vel minui poena, quam fortè judex vel testes ignorarent: unde in hoc dubio jura volunt quòd non possit in absentia condemnari, nec contra inauditam partem ferri sententia, & in expresso istam rationem voluit consultus in dict. leg. Absentem, ibi dum dicit: Sanctius enim esset impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari: quasi dicat textus quòd absens non possit condemnari, quia fortè aliqua defensio sibi competeat & erat innocens. Et in hoc dubio sanctius & justius est quòd absens, licet verè sit delinquens, non condemnatur, quam eo casu, quo sit innocens, & sine culpa condemnatur: & contra inauditam partem in casu tam gravissimo & præjudiciali, jura noluerunt proferri sententiam: probat etiam text. in leg. 1. ff. de Requirendis reis, ibi, nec enim inaudita causa quemquam damnari æquitas ratio patitur: textus in cap. 1. de Causa possessionis & proprietatis: textus in cap. Nos in quem-

quemquam 2. quest. 1. text. in cap. Deus omnipotens, eadem causa, & quest. & in terminis istam rationem ponit solus Alber. in dict. leg. Absentem, §. Adversus, 2. column. ff. de Pœnis. Nec obstat si dicas quod ista ratio non concludit, quia haberet locum quando procederetur contra absentem non citatum nec contumacem: secus tamen si esset legitime citatus & contumax: quia tunc non dicitur indefensus: imò reputatur præsens: argumento textus in Authent. ut omnes obediant iudicibus, §. Si verò nec, collat. 5. textus in leg. Ab eo, Cod. Quomodo & quando iudex: textus in leg. Ea quæ, eodem titul. textus in leg. fin. Cod. Si per vim, vel alio modo, textus in leg. Propterandum, §. Sin autem reus. Cod. de Iudiciis. textus in leg. Ad peremptorium, cum quatuor legibus sequentibus, ff. de Iudiciis, textus in cap. Inter quatuor, de Majoritate & obedient. textus in cap. Qualiter & quando, el 2. §. Debet, de Accusation. textus in cap. 1. de Testib. textus in cap. Absens 3. quest. 9. ibi, nisi fuerit absens ex contumacia pro præsenti, namque eum contumacia haberi, facit textus in cap. veritatis, de Dolo & contumacia, textus in Authent. qua in provincia, Cod. ubi de Criminibus, agi oporteat, ibi, quia contumacia ejus pro præsenti est, quia respondeo quod prædicta jura loquuntur & debent intelligi, quando contra absentem agitur vel proceditur in causis civilibus vel criminalibus non ingentibus pœnam sanguinis, & sic infra relegationem, secus verò in gravibus criminalibus non ingentibus pœnam mortis, vel corporalem, & sic supra relegationem propter grave periculum, quod ibi vertitur: & hoc casu habet locum & verificatur prædicta ratio superior, quæ certè concludit. Item etiam secunda ratio potest esse, quia de delictis vel criminibus, in quibus veniret imponenda pœna capitalis ultra relegationem, sententia lata in absentia esset illusoria, cum non possit executioni mandari reo absente: & in terminis istam rationem ponit Cin. in leg. Absentem, Cod. de Accusation. in fin. Bald. in leg. Quamvis indubitati. Cod. de Adulter. 1. column. in medio. Abbas in cap. veritatis, de Dolo & contumacia, 3. column. num. 19. & ibi Joan. de Imol. 1. column. Sed certè ista ratio non concludit: quia saltem maxima utilitas & effectus resultaret ex ipsa sententia contra absentem lata: quia fortè postea deficeret probatio. Item etiam quia prædicta sententia lata posset executioni mandari postquam reus caperetur: unde teneo primam, veram, juridicam, & efficacem rationem.

4 Advertendum tamen, quod licet contra absentem non possit iudex procedere in cri-

minibus gravibus ingentibus pœnam sanguinis, & sic ultra relegationem; tamen bene potest iudex recipere testes ex officio, vel ad instantiam accusatoris ad perpetuam rei memoriam, quando sunt senes vel de facili morituri, vel longè recessuri: ne deficiat postea probatio, & delictum remaneat impunitum. Ita singulariter reperio quod tenet solus Salycet. in leg. Absentem, Cod. de Accusation. penult. column. Sed attende quod illa sententia & conclusio est falsa: quia in civilibus causis bene verum est, quod ad instantiam creditoris vel actoris, etiamsi in potestate ejus sit, quando vellet agere, quia jus vel actio competit sibi: de præsenti possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam ex prædicta justa causa: quia sunt senes, vel de facili morituri, vel longè recessuri: textus est in Authent. de Testib. §. Et hic vero multoties, collat. 7. textus in Authent. sed & si quis ab aliquo, Cod. de Testib. textus in leg. Current, ff. Eodem, textus in leg. 1. Cod. de Usucap. pupillar. textus in cap. Quoniam frequenter, vers. 1. ut lite non contestata, & utrobique Glossa ordinaria & communiter DD. & idem disponit lex 2. tit. 16. 3. partit. & lex 14. ubi est bona Glossa tit. 8. lib. 2. For. II. similiter etiam quando actor non potest agere de præsenti, quia competit sibi jus vel actio conditionalis, possunt recipi testes, etiam nulla alia subsistente causa vel suspitione mortis vel absentiae: quia sola dilatio, quæ in tali conditione resultat, censetur justa causa: textus est singularis in jure secundum tertiam lectionem, Gloss. in leg. Aquilia si delictum, ff. ad leg. Aquiliam, quem ad hoc notat & commendat Abbas in cap. Significavit, de Testib. 3. & 4. column. & ibi Anton. 2. column. & sentit Innocentius in cap. Quoniam frequenter, ut lite non contestata, & ibi Joan. Andr. & Abbas, & alii DD. tamen in criminalibus, etiam ex dictis causis non possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam contra reum absentem: ita probat textus in cap. Quoniam frequenter, ut lite non contestata, ibi, cum civiliter est agendum, & ibi expressè tenet Gloss. ordinaria in verbo civiliter, Innocent. Anton. Hostiens. Ancaran. Bald. Abbas, & communiter DD. tenet etiam Bald. qui notabiliter loquitur in Authentica Sed & si quis. Cod. de Testib. Florian. in dict. leg. in leg. Aquilia si delict. ff. ad legem Aquiliam. Cujus ratio est secundum eos, quia in executionibus pœnarum non est favor accusatori adhibendus, argumento textus in leg. Auxilium, ff. de Minoribus, pro qua sententia & conclusione est hodiè lex notanda 2. tit. 16. 3. part. ex quibus remanet conclusio, quod in causis criminalibus, in quibus venit imponenda pœna ultra relegationem, non

potest procedi contra absentem, neque adhuc ex aliqua causa contra eum recipi testes ad perpetuam rei memoriam.

5 Item etiam contra prædicta jura, quæ habent quod in delictis ingentibus pœnam sanguinis, non possit procedi contra absentem, facit & resultat maximum inconueniens, scilicet, quod delictum possit præscribi lapsu temporis: nam omne delictum regulariter præscribitur per viginti annos: textus est singularis & unicus in leg. Querela Cod. ad leg. Corneliam, de falsis, quem ad hoc notant & commendant Bartol. & communiter DD. & reputat singularem & unicum Angel. & Salyc. ibi. Sed ad hoc notabiliter respondeo, quod accusator vel iudex ex officio poterit proponere libellum accusationis vel Inquisitionis, licet in ea non procedatur, & hoc operatur quod non currat aliqua præscriptio: ita probat textus valde notabilis in l. 2. vers. 1. Cod. de Exhibendis reis, & ibi tenent Glossa ordinaria & communiter DD. Glossa etiam ordinaria in leg. Absentem. Cod. de Accusation. & ibi communiter DD. Glossa etiam ordinaria in leg. Absentem, ff. de Pœnis. Azo. in Summa, Cod. de Requirend. reis. Anton. de Butr. in cap. veritatis, de Dolo & contumacia, 4. column. & ibi alii DD. probat etiam textus in leg. 1. & 2. Cod. de Requirend. reis, per quæ jura ita tenet Bartol. in dict. leg. Absentem. ff. de Pœnis, 1. column.

Item etiam operatur quod interrumpatur præscriptio præterita: ita probat textus juncta Glossa in leg. Jure mariti, Cod. de Adulter. & ibi notat Salycet. 2. col. num. 9. ibid. Salyc. in leg. Si quamdam, Cod. eod. tit. num. 2.

6 Item etiam talis propositio accusationis vel inquisitionis operabitur alium singularem effectum: nam licet ex diuturnitate temporis, quando aliquod magnum & notabile intervallum temporis transivit post delictum commissum, minuatur pœna, & non teneatur delinquens pœna ordinaria, sed mitiori, ut in leg. Si diutina, ff. de Pœnis, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. & per eum tenet Salycet. in leg. Servos, Cod. ad leg. Juliam de Vi, tamen postquam jam fuit proposita dicta accusatio vel inquisitio, non gaudet tali privilegio: imò pœna ordinaria poterit puniri, quia ex causa absentiae, & non ex negligentia pœna non potuit sibi imponi: ita determinat Bartol. in dict. l. Si diutina, & Abbas Parnomitan. in cap. cum labore, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, 2. column. & Anchar. ibi 3. column. in aliis verò delictis, in quibus non venit imponenda pœna mortis nec corporalis, sed relegationis tantum, vel infra, bene potest procedere contra absentem: quia non agi-

tur de tam gravi damno & præjudicio, & similiter sententia non censetur illusoria: quia si reus condemnatur in exilium & ipse est absens, satis sua absentia punitur, & obtemperatur sententiæ, ita solus Cin. in leg. Absentem, Cod. de Accusat. propè finem.

7 Adde tamen, quod in aliquibus casibus specialibus potest procedi contra reum absentem, etiam in delictis capitalibus, in quibus venit imponenda pœna mortis vel corporalis.

Primus est in crimine læsæ majestatis: textus est in extravang. ad reprimendum sub titulo, quo modo in læsæ majestatis crimine procedatur, vers. Super dicto crimine, &c. & ibi Glossa ordinaria Bart. & alii DD. tenet etiam idem Bart. in leg. 1. ff. de Requirend. reis, Salyc. & communiter DD. in leg. Absentem, Cod. de Accusation. Angel. de Perus. & Hipp. de Marsil. in l. 4. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.

Secundus casus est quando quis est officialis publicus & apparitor, & delinquit in officio: quia poterit ex illo delicto in absentia condemnari, textus est leg. Ne diu. Cod. de Pœnis, & ibi notant & commendant Bald. & communiter alii DD.

Tertius casus est quando quis alium spadonem fecit: textus est in leg. 4. versic. & qui hoc crimine, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. quem ad hoc notant & commendant Bart. & alii DD. & reputat singularem Angel. de Perus.

Unum tamen est, quod licet in delictis capitalibus non possit procedi contra absentem ad definitivam sententiam, quando venit imponenda pœna mortis, vel corporalis, ut juribus supra allegatis: tamen bona ejus annotantur & scribuntur, & si reus delinquens absens citatus intra annum non veniat, confiscantur & fisco regio applicantur, adeo quod licet postea innocens reperiat & sine culpa, non poterit bona recuperare: quia illa perdit & amittit propter maximam ejus contumaciam; textus est formalis & expressus in leg. 2. Cod. de Requirend. reis, & ibi Glossa ordinaria, Osofred. Petr. Cin. Butrigo, Bartol. Bald. Angel. Salycet. & communiter DD. idem etiam disponit lex 7. tit. 8. 3. p. quod tamen intellige quando delictum erat tale, ex quo si in præsenti definitivè damnaretur bona venirent publicanda & confiscanda, non verò aliàs: ita notabiliter tenet & declarat Cin. in leg. 1. Cod. de Requirend. reis, & ibi Angel. de Perus. & Salyc. fin. column.

8 Hodiè tamen de jure nostro regio omnia prædicta sunt correctæ & mutata: quia indistinctè in omnibus delictis capitalibus, vel non, potest procedi contra reum absentem: & si legitime citatus non venerit, habetur pro confesso, & potest condemnari in pœna ordinaria de-

delicti: ita disponit lex 4. tit. 3. lib. 2. Foror. II. & lex 9. tit. 2. lib. 3. Ordinar. Hodie verò de jure etiam regio magis novo aliter disponitur & justissime per pragmaticam hujus regni folio 189. ad quam se refert nostra lex Tauri, eam præsupponit, approbat & confirmat: quia quidem pragmatica cavetur quòd reus delinquens absens ter citetur cum termino novem dierum in qualibet citatione, si fuerit in jurisdictione ipsius judicis cognoscentis de delicto: si verò fuerit extra jurisdictionem, debet citari cum termino viginti dierum in qualibet citatione, & in qualibet citatione debet præconizari, & quælibet citatio debet in domo propria absentis (si quam habet) notificari, & insuper in loco publico figatur edictum in scriptis, in quo contineatur delictum de quo accusatur vel inquiritur, & terminus qui fuit assignatus, & proclamata quæ fuerunt data: & post omnia ista debet proponi accusatio in forma contra absentem cum termino trium dierum: post quorum lapsum accusetur sibi contumacia & concludatur in causa, & feratur interlocutoria in qua admittantur partes ad probationem cum termino competenti, in quo etiam judex inquirat de innocentia ipsius rei absentis, & post lapsum termini probatorii fiat publicatio processus cum termino trium dierum ad opponendum contra testes, & finaliter concludatur processus ad sententiam definitivam ferendam. Circa quam est singulare dubium, an possit prædicta pragmatica & ejus dispositio procedere & habere locum contra minorem viginti quinque annorum absentem: vel an processus postea annulletur si constet esse minorem? & videtur quòd processus fuerit nullus ex defectu personæ, cum non possit talis minor esse in judicio agendo, nec defendendo in civilibus nec in criminalibus sine curatore, ut in leg. Clarum, Cod. de Author. præstand. Sed teneo contrarium, imò quòd procedit etiam contra minorem & illum qui est capax delicti: quia ratione contumaciæ quæ de per se est etiam delictum, ut in leg. Consentaneum, Cod. quomodo & quando judex, debet intervenire aliqua probatio vel præsumptio delicti: ergo generaliter habet locum prædicta pragmatica tam in minore quàm majore; post quæ omnia si delictum reperiatur verè & legitime probatum vel quod ultra fugam reperiatur tale indicium probatum, vel præsumptio quæ sufficeret ad torturam, tunc absens potest definitivè condemnari ad pœnam ordinariam delicti; & in summa ista est vera resolutio prædictæ pragmaticæ quæ quotidie in nostro regno practicatur.

Pro ejus majori declaratione necessario quæro, an illa lex, pragmatica & dispositio po-

tuit fieri, & disponere ut stante prædicta probatione reus absens possit definitivè condemnari de capitali delicto ad pœnam mortis vel capitalem? & certè videtur quòd non, sicut jus commune disponebat: quia cum defensio sit de jure naturali, & absens possit habere aliquam justam excusationem vel defensionem, de qua non constat nec possit constare in sua absentia, princeps vel lex humana positiva non potest hanc defensionem tollere & inducere, ut condemnatur, argumento textus in leg. Ut vim, ff. de Justitia & jure, textus in leg. 1. §. Cum arietes, ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, textus in leg. Scientiam, §. Qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. textus in leg. 3. §. Cum igitur, ff. de Vi & vi armat. textus in leg. 1. Cod. Unde vi, textus melior de jure in Clem. pastoralis, de Re judicata, ibi, defensionis, quæ à jure provenit naturali, imò quòd magis est, etiam de jure divino videtur prohibitum quòd absens non possit condemnari, ut in cap. Absens 3. q. 9. cujus verba sunt, absens verò nemo judicetur, quia divina & humana leges hoc prohibent: & probatur etiam Actuum Apost. cap. 25. ubi dicitur, non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad ablucenda crimina quæ ei obijciuntur, facit etiam Gloss. fin. in summa 4. quest. 1. versic. Quis enim diceret, quæ habet quòd ex contumacia non potest quis capitaliter in absentia condemnari: quem ad hoc notant & commendant ibi DD. & notat & commendat Bald. in leg. Data opera, Cod. Qui accusare non possunt 5. column. num. 24.

Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quòd prædicta nostra regia dispositio valeat & teneat, & optime potuit facere & statuere, quòd in causis criminalibus etiam ingerentibus pœnam mortis vel corporalem, absens possit condemnari: quia loquitur & verificatur quando reus absens legitime citatur, & intervenit probatio plena vel præsumptiva, & ex his justificatur nostra regia dispositio: secus verò esset si disponderet & statueret quòd absque citatione damnaretur, quia hoc non posset facere nec statuere: & ita procedunt & debent intelligi jura contraria, & per consequens licet de jure communi positivo erat dispositum quòd absens non possit condemnari etiam stante citatione, & probatione; tamen bene poterat & potest de jure communi contrarium disponi, prout hodie disponitur, ut dixi & probavi: & ista est vera declaratio & resolutio hujus articuli: & in expresso ita tenet & determinat Bald. in leg. Ne diu, Cod. de Pœnis, idem Bald. in leg. 1. Cod. Quomodo & quando judex, 2. col. num. 8. Angel.

de

de Perus. in leg. Si accusatoribus, Cod. de Accusatoribus 2. column. num. 5. Joan. de Imol. in cap. veritatis de Dolo & contumacia, 1. column. Abb. Panormit. in cap. Inter quatuor, de Major. & obed. 1. column. Joan. de Platea in leg. Si apparitor, Cod. de Cohortilib. lib. 12. 1. col. 2. notabili ponderando textum ibi, & ibi etiam Lucas de Penna, 3. column.

9 Confirmatur, quia citatio est quædam defensio & solemnitas introducta & requisita de jure naturali & divino in actu gravi & præjudiciali, quæ per principem vel legem positivam tolli non potest: text. est capitalis & expressus in Clementina pastoralis, §. Ceterum de Re judicata, quem ad hoc notat ibi Imol. 3. column. num. 23. Anchar. 5. column. & communiter DD. Bartol. in Extravaganti, ad reprimendum, in verb. & figura 2. column. idem Bartol. in leg. Filius familias, ff. de Donat. 2. column. Abb. qui bene loquitur in cap. Cum olim, de Re judicat. penult. column. & ibi Felin. 9. column. num. 12. idem Felin. in cap. Quæ in Ecclesiarum, de Constit. num. 66. Marian. Socin. in tract. de Citationib. sub rubric. de Dilationib. 7. artic. principali, Bald. in cap. Cum sit Romana, de Appellation. in fine. Jas. in leg. fin. Cod. unde legitimi, penult. column. facit etiam bonus textus in cap. 1. de Caus. posses. & propriet. quem ibi ponderat Abb. 2. column. num. 4. & post eum alii DD. bonus etiam textus de jure civili, in leg. fin. Cod. de Leg. juncta Gloss. in verbo, quo minus, quem ad hoc notant & commendant ibi Bald. & Paul. de Castr. Confirmatur etiam ex illo quod habetur Genes. cap. 3. ubi habetur quòd Deus & Dominus noster vocavit Adam antequam eum puniret: præmissa igitur & facta legitima citatione, bene potest lex statuere & disponere, ut contra absentem procedatur: in genere tamen vel modo probationis, virtute & effectu ejus bene potest ista lex disponere & statuere, ut aperte probant prædicta jura, & probat textus in cap. Absens 1. quest. 9. in fin. text. in cap. Inter quatuor de Majorit. & obedient. textus in cap. Qualiter & quando, §. Debet de Accusation. text. in cap. Deus omnipotens 2. q. 1. text. in cap. Veritatis, de Dolo & contumacia, text. in Auth. ut omnes obediant iudicib. §. Si verò neque, col. 5. Nec obstat, si subtiliter dicas quòd in probatione delicti lex ipsa civilis non possit aliquid de novo statuere, disponendo quòd sufficiat præsumptiva probatio in præsentia vel absentia ad imponendam pœnam ordinariam vel extraordinariam: vel disponendo, prout prædicta pragmatica nostra regia disponit per nostram legem Tauri approbatam, quòd in absentia ex sola fuga & contumacia cum indicibus sufficientibus ad torturam, absens possit condemnari ad pœnam ordinariam.

10 Nec obstat si dicatur, quòd in probatione delicti lex ipsa civilis non possit aliquid de novo disponere, statuendo quòd non sufficiat præsumptiva probatio in præsentia vel absentia, ad imponendam pœnam ordinariam vel arbitrariam, & à fortiori non possit disponere quòd ex sola fuga & contumacia junctim cum aliis indicibus sufficientibus ad torturam, reus absens condemnatur ad pœnam ordinariam: quia talis lex vel dispositio tendit contra jus divinum, secundum quòd requiritur plena probatio per duos testes, vel confessio partis: & sic in præsentia vel absentia requiritur ista plena & perfecta probatio, maxime in delictis, in quibus tam grave præjudicium sequitur, & nullo modo videtur sufficere minor probatio: ita probat text. in cap. Licet universis, de Testib. justa illud Dominicum in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; text. in cap. Veniens eod. tit. text. in §. Item unius 4. quest. 3. text. in cap. Admonere 23. quest. 2. text. in cap. Nos in quemquam, 2. quest. 1. cujus verba sunt, nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum, textus in capit. Multi eadem causa & quest. propè finem, cujus verba sunt, noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio vel suspitione: vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum sive accusatum atque convictum, textus in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, de Constitut. in fin. per quæ jura aperte denegatur potentia & facultas aliter condemnandi: quia ad hoc notabiliter respondeo quòd debet intelligi, nisi per legem novam aliud disponatur: quia lex civilis positiva vel regia bene potest disponere quòd ex semiplena probatione vel ex indicibus & præsumptionibus in civilibus vel criminalibus sequatur sententia definitiva, justa præcedente causa: imò quòd magis est, potest disponere, quòd ex sola fuga vel contumacia possit sequi condemnatio: ita probant jura superius allegata, & probat textus singularis in leg. 3. Cod. de Assessorib. ubi habetur quòd officialis fugiens tempore syndicatus habetur pro confessio & convicto, ac si plenè contra eum esset probatum: quem textum ad hoc reputat ibi singularem Bartol. & communiter alii DD. probat etiam textus juncta Gloss. ordinaria & communi opinione in leg. penult. ff. de Custod. reorum, ubi habetur, reus captus aufugit de carcere, habetur pro confessio, & punitur pœna ordinaria delicti, textus in leg. Senatus, §. Divus, ff. de Jure fisci, textus in leg. Impuberib. §. Præterea, ff. de Suspect. tutorib. text. in leg. Locorum, Cod. de omni agro deserto, & ibi Glossa ordinar. Bart. Platea, & Luc.

de